

2182.

Xf. 72.

DISSERTATIO PHYSICO · MEDICA
EXHIBENS
TOXICOLOGIAE
THEORETICAE
DELINERATIONEM

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ET AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM ORDINE
PRO FACVLTATE LEGENDI
IN MEDICINA VTRAQUE ET PHILOSOPHIA
RITE OBTINENDA

A. D. XVI. SEPT. MDCLXXXV.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
FRIDERICVS WILHELMVS CAROLVS
S V C C O W
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR NEC NON SO-
CIE TATIS PHYSICAE IENENSIS SODALIS
RESPONDENTE
HENRIC. CHRIST. FRIDERIC. KRAVEL
ROSETO - MEGAPOLITANO.

PARTICVL A P O S T E R I O R .

IENAE
TYPIS FIEDLERI.

ХАИДИНОВО
ХАИДИНОВЕНТ
ХАИДИНОВАН

СЛАВЕРІЯ СЛАВЕРІЯ СЛАВЕРІЯ

ОГРОМНА ОГРОМНА ОГРОМНА

THESES.

I.

Lunae imperium in valetudinem non
plane nullum est.

II.

Morbi a caussis immaterialibus orti,
absque materie vitiosa perdurare vix
possunt.

III.

III.

Errant, qui omnem materiae morbi-
ficae coctionem negant.

IV.

Coctio et crisis restauratae sanitatis cauf-
sa potius quam effectus esse videtur.

E R R A T A.

Pag. 85. lin. 13. et 14 pr. solidadarum I. fo-
lidarum.

Pag. 89. lin. 22. pr. peamatura I. praema-
tura.

Pag. 94. lin. 20. pr. quibus I. quibuscum

Pag. 102. lin. 16. pr. singuli I. singulo.

xiv. cniuibusq; id est sicutem ex parte
Lettin

Actio medicis est etiam actio
empiricae, et empiricorum (sive tunc) osis
est quia in medicinae et empiricorum
obstetricis obseruantur huius. Quae actio
obseruantur ab aliis, et elementum per
se propter isti officiali empiricis huius. Observeat
hinc elementum per se propter
andivit ex his in aliis medicis da sequitur
medicis. Ita per

C A P. II. o s e r v a t i o n e s
andivis sive
DE VIRIBVS VENENORVM CHEMICIS.

§. 50.

Considerandae nunc venenorum vires che-
micae sunt (§. 2. 4. Introd. §. 2.), a quarum
in corpus actione detrimentosi effectus pro-
fiscuntur, quos vocant venenosos.

§. 51.

Omnes noxae quae a rebus materialibus in
corpo producuntur, proficiunt debent aut a
mechanica quadam harum rerum in corpus ac-
tione, aut a chemica.

F

A c t i o

Actio mechanica est, quae viribus materiae (qua talis) universalibus i. e. cuicunque materiae communibus perficitur. Hinc omnes effectus noxii, qui aut tundendo, aut cadendo, aut premendo, aut verberando, aut pungendo et secando, aut denique lacerando in corpore producuntur, actioni mechanicae tribuendi sunt, quippe ab universalibus materiae viribus repeti debeant.

Actio vero chemica est, quae a viribus materiae (qua talis) specificis i. e. singulis materiae speciebus peculiaribus proficiuntur. Inde effectus noxii, quos principia acria, alcalina, spirituosa, acida, narcotica, adstringentia et multa alia in corpore producunt, chemicae cuidam actioni tribuendi sunt, quippe a viribus corporum specificis, haudquam vero ab universalibus repeti debeant.

§. 52.

Veneni autem nomen iis tandemmodo corporibus competit, quae actione chemica corpori nocent (§. 2. Introd.). Etenim res omnes quae aut tundendo aut secando aut lacerando etc. corpus male afficiunt, venenorum nomine comprehendendi non possunt, cum detimenta,

quae

quae inde ad corpus redundant, non, nisi ab actione mechanica (§. 51.) proficiscantur.

§. 53.

Ea pars Toxicologiae, qua venenorum vires chemicae corpori nocentes pertractantur, Chemia toxicologica (§. 4. Introd.) est.

CHEMIA TOXICOLOGICA.

§. 54.

Vires chemicae partibus corpora constitutentibus insunt, quae inde elementa chemica, et quatenus vi nocendi praedita sunt, principia seu elementa venenosa (giftige Stoffe oder Bestandtheile) vocantur.

COROLLARIUM.

Elementorum chemicorum nomine non solum corporum partes remotas sed et propiores intelligi cupimus.

§. 55.

Experientia autem docemur:

2. Quod sint aut nulla aut certe perpanca elementa chemica, a quorum in corpus animalis

F 2

male

male actione non perfici possint effectus detrimentosi.

2. Quod elementa venenosa corpori nonnunquam innocua sint. Cujus phaenominis causa supra uberior dicta (§. 6. 7. 8. 9.) non solum in corpore animali et ceteris rebus circumstantibus, sed quoque in ipso veneno ejusque elementis posita est, a quorum varia quantitate, aut forma, aut mixtione effectus ipsi modo sunt noxii modo vero innocui aut salutares (§. 61. 62. 63. 64. 65.).
3. Quod, si a venenorū elementis chemicis revera producantur effectus noxii, hi varii sint prout varia est aut corporis animalis, aut rerum circumstantium, aut denique ipsius veneni ejusque elementorum ratio. Nam a diversa elementorum qualitate, quantitate, mixtione et forma, morbi venenosii ipsi diversi sunt. (§. 33 — 42. 62. 63. 64. 65.)

§. 56.

Hinc consicitur, in considerandis venenorū elementis chemicis nobis respiciendum est primo ad eorum qualitates viresque chemicas,

cas, quibus venena corpori obfunt, deinceps vero ad eorum quantitatem et formam et mixtionem, quippe quae venenorum vires chemicas ac corpori nocentes aut augere possint, aut refracnare, aut vario modo dirigere.

§. 57

ELEMENTORUM QUALITATES CHEMICAES

Primo itaque elementorum venenosorum qualitates viresque chemicae curatis a nobis explicandae sunt, quae triplici potissimum ratione finiri possunt, scilicet

1. Eorum affinitate cum aliis corporibus eorumque elementis.
2. Odore et sapore quem venenorum elementa edunt. Ita principia acria sapore acri, aetherea et fragraria odore singulariter ac gravi determinantur.
3. Peculiaribus quibusdam in corpore animali effectibus, ab actione mechanica non repetendis. Ita peculiaris miasmatum chemica indoles neque appetitatem neque saepe odore et sapore, sed fin-

gulari tantummodo, quem in corpore animali producunt effectu, cognosci et terminari potest.

§. 58.

Venena, quorum elementa, quibus corpori nocent, singulari potius effectu, quam affinitate finiri possunt, venena specifica vocantur. Hinc miasmata omnia et multa alia venena, quorum adeo incognita indoles est, ut non nisi singulari, quem producunt, effectu finiri possit, venena specifica et sui generis sunt.

§. 59.

Praecipua vero venenorū elementa nocentia, potissimum quae propiora vocantur, haec sunt *)

1. Acida, quae eo gravius infestant quo concentratora sunt. Eorum effectus nocuihi esse solent: a. praeter naturalis fibrarum constrictio. b. partium irritabilium sensibili-

*) Conf. Excel. Batsch Arznei-Mittel-Lehre nach Verwandtsch. der wirkenden Bestandtheile. Jena 1790.

biliumque excitatio, quae tum potissimum
evenire solet, si acida immediate partibus
hisce applicantur, c. partium solidarum
corroso, si acida concentratiora sunt. d.
Humorum, et lymphae potissimum, coagu-
latio et condensatio,

2. Alcalica, quorum praecipui effectus hi
sunt: a. urinae et sudoris copiosior secre-
tatio et excretio, b. humorum, potissimum
qui glandulis insunt, nimia resolutio. c.
partium irritabilium sensiliumque excita-
tio, quae tum potissimum evenire solet, si
alcalina concentratiora sunt. d. solida-
darum partium ab alcalinis concentratiori-
bus corroso. e. plurima alcalinorum so-
lidarum partes debilitare atque relaxare va-
leut.

3. Salia neutra et media, a quibus profi-
cisci solent: a. irritatio, praecipue prima-
rum viarum; hinc plerumque emesis et di-
arrhoea quin inflammatio ipsa. b. solida-
darum partium debilitatio. c. Humorum re-
solutio. d. sudoris et urinae copiosior ex-
cretio,

4. Spirituosa i. e. corporum quaevis ele-
menta volatilia odore plerumque gravi ac

Iaepē fragranti et vi quadam subito in nervos agente, praedita. His variae species adnumerandae sunt, quarum aliae acidæ indolis esse solent, aliae alcalinae, aliae empyreumaticæ, aetheræ, naufragæ, aromaticæ etc. Quæ vero spirituum species omnes id habent commune, a. quod subito agant in nervos eorumque motus aut excitent aut depriment et labefacent. Hinc spirituum halitus naribus admoti, sensuum et excitationem et hebetudinem progreare valent. b. quod spirituosa fortiora et concentratoria partes solidas corrodant. c. quod a spirituum nimio usu solidatum partium debilitatio oriatur. Hinc hydrops et atonia spirituosis utentibus frequens morbus est. — Ceterum eorum effectus differunt pro varia spirituum natura, ita ut acida simul adstringant, naufragæ naufragiam excitant etc.

5. Acrimoniae, quarum aliae apertæ, sapore acri conspicuae sunt, aliae vero occultæ ob hanc caussam dictæ, quod, quamvis sapore acri careant, eosdem tamen ac apertæ effectus producant. Variae vero eorum species sunt, cum et acida et alcalina et salia neutra et spirituosa, acrimoniarum natu-

naturam nanciscantur; si concentratoria redi-
cuntur. Multae vero et aliae acrimoniarum
species extant, quae, cum non satis cogniti-
tiae indolis et sui generis sint, ad acrimonias
specificas vulgo referri solent. His, ut
exemplum utrā miāsmata quaecunque adnu-
meranda sunt; et multae e vegetabilium
libe classe acrimoniae. Acrimoniae autem om-
nibes in eo convenient, a. quod partes vi-
tilali praeditas aut universas aut singulas
tantum irritare ideoque et excretiones se-
cretionesque sangere valeant. b. quod si
fortiores sunt acrimoniae, partes solidas ro-
bundant, defruant ac inflammationem exci-
tent. — Ceterum earum effectus differunt,
prout acrimoniarum diversa indoles est.

6. Narcotica, de quibus tamen non satis li-
berquet, num sint peculiaria quaedam corpo-
rum elementarum, an potius effectus eorum,
et si singulares et sui generis esse videantur
aliis jamjam cognitis corporum elementis
tribuendi sint. Nocent autem narcotica a.
quod sensuum tum extenorū tum inter-
norū habitudinem proferre vimque vita-
lem auferre valeant. b. quod multa wen-
na narcotica, antequam vim vitalem depri-
mant, haem exiccare soleant. Hinc simul

perspicitur magnam venenorū narcoticōrum cum spirituosis convenientiam esse.
(No. 5. a, b.)

7. Adstringentia, quae ob hanc caustam ita appellantur, quod solidas partes constringant, et sapore plerumque adstringente i. e. aut acerbo aut subacido aut amaro praedita sint. Quae, quamvis non satis cognitae indolis esse videantur, id tamen commune habent quod solidas partes adstringant, hinc et excretiones nonnunquam retineant. Amara simul calorem siccum, acerba, potissimum quae a regno minerali profiscuntur, totius corporis marcorem procreare valent.

8. Mucilaginosa, quae etiā plerumque innocua sint, tamen majori copia devorata nonnunquam graviter nocent. Eorum praecipui effectus nocivi sunt: a. solidarum partium et intestinorum potissimum relaxatio. b. nonnulla eorum, potissimum quae a baccis Visci querni et Visci auncinarii Linn, profiscuntur digestioni obsunt.

9. Pinguia *), quae iterum parva dosi innocua, majori vero nonnunquam detrimetosa sunt. Eorum effectus noxii esse solent:

a. fo-

- a, solidarum partium relaxatio, b. Nausea et vomitus et digestionis vitia, hinc saepe et febres gastricae. c. Humorum depravatio, qua de caussa et exanthemata,
30. Dulcia *) a quorum nimio usu proficiuntur solent: a, Solidarum et intestinorum potissimum relaxatio. b. appetitus et digestio- nis labefactatio eiusque sequelae.

11.

*) Quamquam nec dulcia nec pinguis vulgo venenis adnumerari solent, ego tamen ea ad venenaria referre haud dubitavi, quippe a chemica eorum in corpus actione varios morbos eosque haud raro graves proficiunt videamus. At sunt forte qui veneni definitionem a me supra (§. 2. Introd.) propositam suo definito latiorē esse censeant, eamque hoc modo restringi ac modeari posse existūment, quod ea tantum corpora venenis adnumerarent, quae corpori non solum nocere sed et mortalem ipsam efferre valeant. Quod, et si concederem, haud tamen impedit, quo minus et dulcia et pinguis veneis adnumerari debeant, quippe si quis iis nimia copia utitur morte peamatura haud raro punietur. Quis enim est, qui nesciat, homines a butyro nimia copia devorato, non solum sanitatem sed et vita ipsa privatos suille. Quem porro fugit, dulcem nimium usum tantam saepe digestio- nis partiumque solidarum labem infantibus attulisse nt vitam fragilem mortemque praematuram depor- taverint.

11. Putrida, quae vegetabilibus corruptis animaliumque cadaveribus infunt. Eorum effectus nocivi sunt a. virium vitalium languor. b. humorum resolutio et ad putredineam proclivitas.
12. Aër irrespirabilis, multiplicis indolis, qui, si pulmonibus adfertur, vim vitalem auffert.

§. 60.

An aër vitalis, qui quamvis vitam quodammodo alaciorem reddit, simul tamen vim vitali citius perdit, mortemque præmaturam afferit, venenis adnumerandus sit? — Omnino ita videtur. Nam detimenta quae afferit, a vi chemica aequre repetenda sunt, ac ea, quae ab aëre corrupto et irrespirabili proficiuntur.

§. 61.

Possintne porro materies ignea et electrica, quae corpus irritare et destruere valent, elementa venenosa vocari? — Usui quidem loquendi repugnare videtur, hominem ab igne aut fulmine interfectum, venenatum dicere. Si vero definitionem a me supra propositam

spec-

spectas (§. 2. Introd.), libenter confiteor, eam
hocce incommodo urgeri, quod materies ignea
et electrica e venenorum numero non facile pro-
scribi possit. Sed ab eadem inconvenientia ce-
terae omnes auctorum de veneno notiones pre-
muntur. (§. 2. Introd. Coroll. 2.).

§. 62.

ELEMENTORUM QUANTITAS.

Praeter chemicam elementorum qualitatem
consideranda quoque eorum quantitas est
(. 56.), qua sit, ut morbi ipsi ab his venenō-
rum elementis proficientes aut varii sint aut
plane nulli. Venena enim interdum innocua
esse solent, si elementorum venenosorum non
justa quantitas est. Hinc venenorum nimis par-
va dosis saepe impunē cum corpore communi-
care potest, quippe non sat magna elemento-
rum quantitas corpori assertur. Idem porro ve-
nenum et varios morbos nonnunquam profer-
re valet, quando elementorum quantitas mu-
tatur. Ita opium majori dosi devoratum; deli-
ria, somnum, tremores et anxietatem affert; si
vero parva dosi, ideoque paucā ejus elementa
adhibentur, leuem tantum vertiginem procreat.

§. 63.

§. 63.

ELEMENTORUM FORMA.

Deinde ad elementorum formam nobis responsum est (§. 55.) quae tum venenis integris, tum singulis eorum elementis competit. Omnis enim venenorum eorumque elementorum forma aut solida esse debet aut fluida; illa modo compactior est, modo minus cohaerens; haec vel ad guttulas redigi potest (eine tropfbare Flüssigkeit) vel vaporis aut halitus aut fumi aut aëris formam refert.

§. 64.

A varia autem forma effectus ipsi nonnumquam varii esse solent, ita ut mutata veneni forma idem venenum aut desinat esse noxiū, aut saepe aliū vel mitiorem vel grauiorem morbum producat ac produxisset, si sub alia forma cum corpore communicatum esset. Mīasma enim venereum exscatūm innocuum esse putatur, et mercurii dulcis vis salagogā aut nulla aut leuissima est, si sub solida forma corpori extrinsecus inspergitur; si vero eundem mercurium in unguentum redactum cuti inungas, gravior salivatio quin febris ipsa mercurialis orietur.

An

An veterum medicorum opinio, quod corpora non nisi fluida agant in corpus animale; et de venenis omnibus valeat? — Certe non vniuersaliter hoc affirmare vellem.

§. 65.

ELEMENTORUM MIXTIO.

Spectanda denique principiorum venenosorum commixtio est (§. 56) qua fit, ut et venenorum natura et ipsi effectus inde proficiscentes varie mutentur. Nam a variorum elementorum conjunctione nouum corpus constituitur, cuius vires nociae valde plerumque differunt ab iis, quae singulis elementis, antequam commiscentur, insunt. Hinc vires, quae nouo corpori e plurium elementorum conjunctione exorto competunt.

1. Eadem sunt, ac singulis elementis antequam commixta erant. Quod sit, si elementa secum invicem conjuncta sibi non adversa sunt. Ita acria quae ventriculum irritant et narcoтика quae sensuum hebetudinem afferunt, si conjuguntur, venenum sistunt, cui et vis ventriculum irritans et sensus labefactans inest.

2. Vi-

a. Vires differunt aut gradu aut re ipsa ab iis quae singulis elementis, antequam commiscantur, insunt. Quod, si sit, vires novi corporis venenosae e plurium elementorum conjunctione exorti

a. sunt debiliores aut plane nullae.

Ita e venorum acrum cum mucilaginosis aut pinguibus conjunctione vires debiliores redduntur, ita ut eadem acrum dosis, quae per se data valde detrimentosa est, cum mucilaginosis conjunctiona aut nullam aut exiguum corpori normam infert.

b. sunt grayiores. Ita aquae fortis vis rodens augetur ab argento in ea soluto.

c. quoad qualitatem differunt a viribus singulorum elementorum. Quod cum potissimum evenire solet, cum plurium elementorum conjunctione aut pars quaedam constitutiva analat, et a ceteris quibus conjugitur elementis liberatur, aut si ipsum elementorum secundum initiem conjunctionis vires immutantur. Utrumque evenire solet e conjunctione acidorum cum alcalinis, qua sit, ut acidum æreum.

reum a ceteris elementis, quibuscum
conjungitur liberetur, et simul sal neu-
trum generetur, cuius vires differunt ab
iis quae et elementis acidis et alcalinis
seorsim inesse solent.

S E C T I O A L T E R A.

D E

NOTIS VENENORVM ACCIDENTALIBVS.

§. 66.

Praemissis venenorum notis essentialibus ad
accidentales progredimur (§. 4. Introd. §.
2. Tox. gen.) quibus adnumeranda sunt om-
nia, quae neque ad venenorum facultatem no-
cendi, neque ad elementa eorum chemica,
quatenus facultate hacce nocendi praedita sunt,
pertinent. (§. 4. Introd. No. II.).

G

§. 67.

§. 67.

Quarum vero rerum accidentalium **origi-**
nis venorum potissimum hoc loco ra-
tionem habebimus, quippe ceterae notae acci-
dentales aut supra uberioris jam dictae sint,
aut melius in toxicologia speciali describantur.

§. 68.

Varia vero haec venenorum origo esse solet,
cum varia sit ratio, qua procreari possunt ve-
nena, variaeque et corporum classes, a qui-
bus proficiscuntur. Hinc primo venena di-
stribui solent in naturalia, quae ab ipsa
natura procreantur, et in artefacta, quae
sola arte fabricantur. Priorum exempla sunt
arsenicum, rhus toxicodendron, virus vi-
perarum; posteriorum vero lapis infernalis,
mercurius sublimatus corrosius etc. Sunt ta-
men venena quae cum a natura procreata et ar-
te quodammodo immutata sint, tum ad natura-
lia tum ad artefacta sensu latiori referri meren-
tur, quemadmodum opium, extractum hyos-
cyami, cicutae etc.

§. 69.

Deinde, si corporum ordines spectas, a
quibus venena proficiscuntur, eorum triplex
po-

potissimum origo est, cum venena qualia-
cunque aut mineralia esse debeant, aut
vegetabilia, aut denique animalia.

Venenis vegetabilibus animalibusque vi-
rus nomen competit, cuius iterum duplex
origo esse solet, cum aut secundum natu-
ram aut praeter eam procreari possit. Hinc
virus viperarum, aranearum, nec non venenum
quod amygdalis amaris, hyascyamo etc. inest,
venena naturalia (sensu physiologico) sunt;
praeternaturalia vero miasmata omnia, fecale
cornutum, (quod multis venenum esse vi-
detur) et multa alia.

§. 70.

Experientia autem confirmatum est

1. Quod animantium venena naturalia (sensu physiologico) eidem animalium speciei vix unquam sint detimentosa.
2. Quod ni omnia, certa pleraque animantium venena praeternaturalia simul sint miasmata.
3. Quod venena animalium praeternaturalia, paucis exceptis, eidem tantummodo ani-
mantium speciei obsint.

G 2

§. 71.

Corpora qualiacunque, quae aut viribus venenosis reuera praedita sunt, aut venenis procreandis inferuiunt, corpora venenosa appellantur, quae, si naturalia sunt ab Historia naturali toxicologica, si vero artefacta, a Pharmacia et Technologia toxicologica pertractantur. Eorum vires salubres Materiae medicae toxicologicae objectum praebent. (§. 4. Introd.).

In Historia vero naturali toxicologica considerari debent

1. Corporum venenosorum notae systematicae, ita tamen ut magis differentiarum naturalium quam artificialium rationem habeamus, cum virium venenosarum natura curatius plerumque inde cognosci possit.
2. Ceterae corporum venenosorum qualitates externae.
3. Eorum habitationes nec non originis mutationumque naturalium ratio.

4. Ele-

4. Elementorum viriumque in doles
ac diueritas. Differunt vero vires
tum in diversis corporum venenosorum spe-
ciebus, tum in uno eodemque individuo,
ita ut idem corpus venenosum varias fac-
pe vires habeat:

- a. In variis ejus partibus. Ita physalis
somniaferae radici vis narcotica, fructui
vero diuretica inest.
- b. In varia corporum venenosorum aetate.
Huc pastinaceae satiuae radices pertinent,
quae, non nisi annuae sint, noxiae esse
solent
- c. In variis locis quibus habitant et edu-
cantur corpora venenosa. Quapropter
plantae quae in regionibus incultis na-
cuntur plerumque efficaciores esse so-
lent iis quae in hortis educantur.
- d. In vario statu naturali ac praeternatu-
rali. Multa enim animalia non nisi a
morbis correpta venena procreare va-
lent.

§. 73.

Pharmacia, Technologia et Ma-
teria medica toxicologica merito huc
G 5 omit-

omittuntur, tum quod nil priui habeant, cu-
jus gratia singulatim hoc loco pertractari me-
reantur, tum quod earum uberioris ratio ha-
beatur in toxicologia speciali.

SECTIO TERTIA.

DE VENENORUM DIAGNOSI.

§. 74.

Res omnes circa venena accidentes, quae ve-
nenosam eorum indolem produnt, veneno-
rum signa sunt, a quibus repeti potest cuius-
cunque veneni justa diagnosis. (§. 4. In-
trod. §. 2. Tox. gen.).

§. 75.

Sunt vero vonenorum signa et vniuer-
alia et specialia. Illa denunciant corpus
ob-

obuium esse venenum; haec, peculiarem venenorum indolem venenosam produnt. Vtrique vero signa modo sunt certa, modo probabilia ac dubia, modo omnino falsa. Hinc et venena distribui solent in certa, suspecta atque notha.

§. 76.

SIGNA CERTA.

Venenorum signa certa sunt

1. effectus ipsi, quos in corpore animali producunt.
2. notae eorum characteristicae ac speciales.

§. 77.

Effectus vero tum tantum certa venenorum signa praebent

1. Quando a corporum applicatorum viribus chemicis profiscuntur. Effectus vero a viribus chemicis profisci, ex eo intelligi potest, tum quod ab actione mechanica commode repeti non possint, tum quod mutata elementorum mixtione effectus ipsi simul mutentur.

G 4

2.

2. Quando effectus aut reuera sunt noxii aut ita tamen comparata ut noxas quasdam ab ipsis profici sci posse certissime intelligamus. Ita e somno leui ac saepe innocuo, quem opium dosi exigua nonnunquam afferre solet, vis ejus narcotica ac detrimentosa cerni potest. Sed cautio adhibenda est, ne fallaris. Quapropter caue

a. Ne nimium tribuas signis et conclusiōnibus a corporum effectibus innocuis repetitis. Certiora enim ac tutiora signa praebere solent effectus noxii, quippe qui venenosam corporum indolem curatius demonstrant.

b. Ne corpora venenosa singuli cuidam homini aut singulis quibusdam animantium speciebus nocua, ceteris quoque hominibus omnibus, ceterisque animantium speciebus venenosa ac nocua esse existimes. (§. 8. No. 1. 2. §. 10.).

c. Ne corpora semel aut pluries innocua, omnino innocua esse existimes. Nam idem corpus venenosum sub variis conditionibus applicatum, varios et noxios et innoxios edit effectus. (§. 6. — 10.).

d. Ne

d. Ne fallaris experimentis, quae ad cognoscendam venenosam corporum indolem, circa animalia plane emortua aut partes ab iis separatas institui solent. Nam vivi corporis phaenomena valde differunt ab iis, quae in emortuis observuantur.

§. 78.

Haec vero effectuum exploratio, a qua venenorū signa repetuntur, aut obseruacionibus nititur fortuito se offerrentibus, aut experimentis studio institutis. Experimenta vero circa varia animantium corpora variisque modis institui possunt ac debent.

§. 79.

Animantium enim corpora hisce experimentis inseruentia, sunt

1. Corpora hominum viua. Hinc experimenta institui solent aut cum nobis met ipsis, aut cum aliis hominibus, potissimum aegris, et quibus puniendi caufsa venena porriguntur.

G 5

2. Cor-

2. Corpora ceterorum animalium brutorumque viua

Huc vero eadem monenda, quae §. 77.
Nro 2. litt b. dicta sunt.

§. 80.

Si vero ad ipsum experimenta instituendi modum respicis, duo potissimum consideranda occurunt

1. Ut satis tuta et absque periculo sint experimenta cum nobismet ipsis cumque aliis instituenda, quorum valitudinem vitamque perdere nefas est. Quapropter haec cautiones adhibendae sunt:

a. Abstinendum est ab omnibus rebus, quarum indolem nullis adhuc signis probabilius compertam habemus.

b. Abstinendum quoque ab omni materia, cuius indolem venenosam nimis detrimetosam esse demonstrant signa probabilia. Huc vero pertinent quaevis probabilia animantium venena, potissimum praeternaturalia multaque alia, quae

quae adeo periculosa esse solent, ut non nisi summo vitae sanitatisque detrimento cum homine communicari possint.

- c. Corpora suspecta et probabiliter venenosa, si adhibentur, non nisi paucissima dosi initio danda sunt.
 - d. In promptu esse debent remedia, quibus corporis noxae a venenis probabiliter proficiscentes, tollere possimus. Neque minus adjutore opus est, qui nobis auxilium ferre possit, si experimenta, cum nobismet ipsis instituta, periculosa evadunt.
2. Ut talis sit experimentorum ratio, qualis requiritur ad venenofam corporum indolem rite cognoscendam. Quia de caussa haec potissimum notanda sunt:
- a. In exploranda venenosa corporum indole non solum ad varias eorum partes, sed quoque ad variam aetatem variasque ceteras eorum conditiones respiciendum est. Nam vni eidemque corpori venenofo variae vires inesse solent

lent in variis ejus partibus, varia aeta-
te etc. (§. 72. No. 4.).

b. Corpora, quorum indolem cognosce-
re cupimus, adhibenda sunt pura et
mixta nec non diversa dosi ac forma.
(§. 59.).

c. Eadem corpora diuersis animalium spe-
ciebus, diversisque eorum individuis por-
rigi debent, vt intelligamus quibusnam
animalibus nocua sint, quibusue non.
(§. 8. 40.)

d. Ad diuersas corporis viui partes appli-
canda sunt (§. 8. 40.).

e. Sub variis circumstantiis adhibenda.
(§. 9. 41.).

f. Animantium corpora, quibus venena
porriguntur, per longum temporis spa-
tium obseruanda sunt. Multa enim ve-
nena non, nisi diu in corpore latue-
rint, noxam afferre solent v. g. vene-
na saturnina.

g. Animantium corpora, qui detimenta
ceperunt e veneno dato vel sumto, dis-
fecanda sunt, vt et mutationes inter-
nas rite cognoscere possimus.

h. Sae-

h. Saepius repetenda et sedulo inter se comparanda sunt varia haecce experimenta cum variis animalibus et sub variis circumstantiis instituta. Quo facto curatius intelligi poterit cujuscunque veneni indoles.

§. 81.

Quae vero effectum consideratio, licet praeterea certa venenorum signa praebeat, multis tamen difficultatibus iisque haud levissimis premitur. Nam

1. Multae res latent in corpore viuo, multae et extra eum positae sunt, quae, etiam magnam vim habeant ad immutanda phaenomena venenosa, haudquaquam tamen rite cognosci possunt.
2. Extant venena, quorum ita comparati effectus sunt, ut singularis eorum natura haud facile possit intelligi. Quibus praeterea adnumeranda esse videntur venena clandestina et laruata, quorum priora, antequam nocent, per longum tempus in corpore abscondita latent; posteriora vero alium morbum simulant, ac vulgo proferre solent.

§. 82.

§. 82.

Praeter hosce effectus vero, ipsae venenorum notae speciales ac characteristicae spectandae sunt, (§. 76) quae si adfunt, inter certissima eorum signa referri merentur. Reperi vero debent hae notae non solum a chemica corporum analysi, sed simul quoque a ceteris eorum qualitatibus, potissimum quae ab historia naturali enarrantur. Nam quae sola chemia docet, non satis certa signa esse solent, quippe multa sint corporum elementa, quae aut plane detigi nequeant analysi chemica, (v. gr. elementa narcotica) aut ita ab ea immutentur ut genuina eorum natura rite cognosci non possit.

§. 85.

SIGNA DUBIA ET PROBABILIA

Sequitur ut de venenorum signis dubiis ac probabilibus loquamur, quae ab hisce fontibus potissimum repeti debent:

1. Ab experimentis cum viuis animalibus institutis (§. 78. 79.), quae ob hanc caussam dubiam reddunt venenorum

dia-

diagnosin, quod a detimento vni animalium generi allato, ad noxam, ceteris animantibus ab eodem corpore venenofo inferrendam, nulla certa valeat conclusio. (§. 8. No. 1. 2. §. 40. No. 1. 2.). Solet tamen eo certior esse diagnosis ab hisce experimentis repetita, quo similiora ceteris animalibus sunt ea animalia, quibuscum venena communicata sunt.

2. Ab hominum animaliumque fastidio, quod a venenis, proxime ipsis admotis nonnunquam oriri solet. Signa vero inde repetita eo certiora habenda, quo magis inculti sunt homines quibus venena admoventur et a praeoccupatis opinionibus liberi.
3. A chemica corporum analysi. (§. 82.).
4. A corporum naturalium characteribus generalibus. Ita Rhoeades, Solanaceae etc. suspectae esse solent.
5. A ceteris corporum notis externis, scilicet ab eorum fapore, odore, habitu etc. Hinc acria, nauseosa, lurida venenosae indolis esse presumuntur.

6. Ab

6. Ab eorum origine. Quapropter plantae locis incultis ac desertis habitantes plerumque noctuae habentur. Porro materiae, quae praeter naturam in corpore animali procreantur, semper fere miasma- ta esse solent.

§. 84.

S I G N A F A L S A.

Pauca de signis falsis dicenda sunt. Nam omnia signa respui merentur, quae aut obseruationibus nullis aut superstitionis et plane rejiciendis nituntur. Qua de causa experimeta cum animalibus emortuis aut partibus ab iis separatas instituta, plane abjicienda sunt.

CARISSIMO SVO AMICO

FRIDER. GVIL. CAR. SVCCOW

S. P. D.

I. H. BECKER.

Haud ego, quae animorum inter nos est arcta coniunctio, per octo, et quod superat, annos, familiaritate et quotidiana consuetudine confirmata, mihi ipsi satisfacere putarem, si festivum hunc diem silens neque gratulans peragerem. Quid hoc equidem aliud, nisi ut, quae diu Tibi iam probata esse, confido, nimurum observantiam, amorem mentemque meam Tui studiosissimam Tibi signifiem; sed sciant, cupio, omnes, nos adeo unitos esse, ut quam laudem hodie reportaturus es, a me quoque perceptum iri, censem. Non autem subsisto; initium capeffis glorie. Sunt Tibi multa, eaque praelata peragenda, ad quae grava et illustre exemplum Patris Tui venerandi, quem et ego, Patris instar,

Junr.

summa pietate prosequor, Te excitat. Et hoc imprimis
laetor, quod praevideam, fore, ut, cui laudabili indu-
stria vitam impendisti, humanitate, arte et indefesso la-
bore adsequaris, ut gloriam officio pares. Sic o Bone!
ad eundem finem, civium salutem, licet diversa via pro-
peremus; Tu, qua celeritudini hominum consulas; ego,
qua bonis, qua famae et vitae innocentis succurrere pos-
sim. Vale.

REGIA LIBRARIÆ

I. H. BIBLIOTHECA

ERRATA.

- Fig. 7. lin. 5. pr. commod l. commode.
— 8. Coroll. lin. 9. deleatur: indelebilem et interne cinam,
— 9. lin. 29. pr. mechanica aequa l. mechanica actione aequa.
— 10. — 4. — ulcer a l. olera.
— — 7. — tamen l. tamen non.
— 14. — 17. — dies l. Ding.
— — 18. — wie l. wenn.
— 15. — 4. — den Umständen l. den gehörigen Umständen.
— — 10. — argentur l. urguntur.
— 22. — ultima pr. mala l. malae.
— 26. lin. 11. pr. habeat l. habent.
— 31. — 18. — miarmate l. miasmate.
— 32. — 13. — ab l. ob — pr. undoque l. undique — pr. spargint l. spargunt — pr. antque l. atque.
— 33. — 19. — filicum l. felium.
— 57. — 2. — toquamur l. loquamur.
— — 17. — effirarium l. efficaciam.
— 38. — 4. — Ruibus l. Quibus.
— 59. — 12. — iustel l. iustae.
— 40. — 23. — eertam l. certim.
— 53. — 2. deleatur comma post noxam.
— 63. — 6. pr. Quacunque l. quacunque.
— 70. — 20. — conspicuaal l. conspicua.
— 77. — 1. — proximae l. proximo.
-

Uf 2436

X2497770

ne



DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA
EXHIBENS

TOXICOLOGIAE THEORETICAE DELINIEATIONEM

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AVGUSTO

DUCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO

THVRINGIAE REL.

CONSENTIENTE

GRATIOSO MEDICORVM ET AMPLISSIMO
PHILOSOPHORVM ORDINE

PRO FACVLTATE LEGENDI
IN MEDICINA VTRAQUE ET PHILOSOPHIA
RITE OBTINENDA

A. D. XVI. SEPT. MDCCCLXXXV.
PVBICE DEFENDET
AVCTOR

EPIDEMICIS HUIC

VS

